ZBIOR druków procesowych z XVIII. i XIX. w.

Tom II.

Nr. 1.	Elsner i Wisogierdowie r.1782.	szt. 1.
" 2.	Froelichowie r.1799.	" 3.
" 3.	Goldynga r. 1765.	" 2.
" 4.	Grabowski i Siebeń etc r,1799.	" 1.
" 5.	Grabowscy r. 1799.	" 2.
" 6.	de Grothuz i Piotr Książę kurlandz.r.1779	" 1.
" 7.	Grużyński i Podberescy r. 1799.	" 3.
" 8.	Haudring i Klüchzner r. 1779.	" 3.
" 9.	Haudringowie i Platerowie r. 1780.	" 2.
" 10.	Janowicz i Chodakowscy r. 1799.	" 1.
" 11.	Izraelowicz i Radowicki r. 1799.	" 2.
" 12.	Hryniewicz r. 1774.	" 1.
" 13.	Jezuici toruń. i Magistrat toruń. r. 1724.	" 3.
" 14.	Jasna Góra i Kłobuck r. 1790.	" 2.
" 15.	Jocz i Downarowicz r. 1800.	" 1.
" 16.	Kaczanowska i Brzozowski 1799.	" 1.
" 17.	Kalenkiewicz r. 1760.	" 1.

Inductio quasi Juridica Causæ.

Seu Antithetica Confrontatio & Comparatio Partium collitigantium; nobilis Magistratûs, PopuliqueThorunensis (etiam ex confesso & scripto oreque proprio) ab una, & P. P. Jesuitarum Studiosorumque eorundem, ab altera; Super tumultuaria ab iisdem Thorunensibus Dissidentibus, Scholarum devastatione, Collegii deprædatione; & super omnia, Personarum, Locorumque Sacrorum Violatione; Capellarum profanatione; Altarium eversione, Imaginum CHRISTI Domini, Matrisque Ejus, ac Sanctorum concisione, laceratione, conculcatione, ac demum Sacrilega, in platea publica, combustione. d. 17. Julii 1724.

PRima est Comparatio utriusque Partis, Substantiæ rei & Causæ Facti, ab utraque etiam adversa Parte innegabilis, & ultro confessi. Porro duæ hic sunt ab utrinque Partes Principales; scilicet nobilis Magistratus, & P. P. Jesuitæ. Duæ pariter partes utrique Subalternæ; seu secundariæ, scilicet Populus & Gymnasistæ Thorunenses, & Studiosi Jesuitici Catholicique.] Jam ergo certa & evidens est Substantia Facti ab una Parte Principali, scilicet à Magistratu, quam in sua relatione fatetur, sed neque negare potest. Quod scilicet, sicut & ante frequentissimè, Studiosos & Catholicos omnes, quocunque de industria prætextu quæsito, & novissimè ante, Studiosum nobilem, etiam ab Illis ipsis postea innocentem agnitum, seminudum per capillos raptum, perque gradus protrusum, publico Carceri includi jusserint &c. De qua violentia, exstat juridica Cognatorum nobilium protestatio, in Castro Bidgostiensi. Sed his interea omissis; quod immediate ad præsentem causam spectat, pariter in Confesso est.: Quod idem Magistratus, Studiosum, qui galerum Lutherano cuipiam, Processionem cum Venerabili irreverenter irridenti &c. deposuerat; jusserit, contra Jura Scholastica, imò & Regni, & Gentium; sine ulla prævia, (ad quos de jure) P. P. Jesuitarum, circa satisfactionem si quid esset læsionis, requisitione; jusserit inquam, & quidem non primo impetu, (quod pronius erat) nec in flagranti, sed quasi præmeditatâ vindictâ, eundem Catholicum Zelosum, publico Carceri per suos milites includi; Post peractam jam Processionem, ne fortè tumultus fieret in Populo etiam Catholico; cui credo parcere volebant; contenti secuturo postridie Collegii, & Scholarum Jesuiticarum excidio. Taceo interea circumstantiam aggravantissimam, quod ille Studiosus ad Asylum Ecclesiæ S. Jacobi confugiens, in ipso Cæmeterio sanguinolentè cæsus, captus, & raptus ad carcerem &c, Taceo inquam, id enim credo, sicut non præscio, ita & inscio Magistratu factum; sed tamen postea dissimulanter probatum; quod si in tempore (ut omnino debuit) Magistratus puniisset, certò ad tantum tumultum, causam non dedisset; quem eo ipso, & ex plurimis aliis, ut infra, rationibus, in mente optativa, vel saltem non aversativa, habuisse videtur. Imò etiam die sequenti, idem Magistratus, ad æquissimam, Legatorum à Studiosis missorum, requisitionem, & quidem aliquoties iteratam, non solùm ad debitam inquisitionem, & (si opus foret) satisfactionem, legitimæ Jesuiticæ Potestati non extradidit; sed etiam alium adhuc innocentiorem, ex illis ipsis legatis unum, contra Jura Gentium, eidem Carceri inclusit. Quasi studiosè irritando Jesuiticos studiosos, ad novam impatientiam, optatæque commotionis plebis, ansam; cum primam non successisse, nec adhuc fortè ad malum præmeditatum maturuisse, viderent. Et hæc duo, hoc est, *Distinctam duorum Studiosorum Jesuiticorum, sine ullo, ad quos de jure, & jurisdictione, Jesuitas recursu, incarcerationem publicam*, fatetur quoad substantiam, etiam in Scripto publico, Magistratus; licèt illam miris, & falsis modis extenuet. Quæ tamen etiam ipsæ extenuationes, nihil penitus Jesuitas ipsos, multoque minus Rectorem ipsum concernunt, etiam fatente Parte adversa; sed solos Studiosos, de quibus infra, ubi Partes secundariæ, scilicet Cives, Populusque cum Studiosis, confrontabuntur. Interea, ostendat, si potest, nobilis Magistratus, vel unicum etiam, ex ultima (ut ita dicam) fæce Populi, suæ jurisdictionis homuncionem, quem Jesuitæ, motu proprio & jussu, independenter à Magistratu, (etiam tunc, cùm omnia possent, Polono & Catholico Exercitu aliquoties urbem deoccupante) incarcerârint; etiam mille datis sibi, suisque catholicis vel studiosis, in ante & nunc, occasionibus. Imò semper in summis, nunc ingratissimæ Civitatis angustiis, unicum erat Asylum, etiam ipsorum Consulum, Civiumque, Collegium, & interpositio Jesuitarum. Quodsi inclusionem sui Lutherani Gymnasistæ, præcise in Schola, non in carcere, à Studiosis Jesuiticis factam, prætendat Magistratus. Inprimis; quidquid sit de retaliativa Captivationis, Juris æquitate (de quo infra, in comparatione Partium secundariarum, Civium scilicet, Populique, cum Studiosis) plus quàm certum est, illam etiam captivationem, sine scitu, nedum imperio Rectoris Jesuitici factam. Sicut facta est, & priùs, & plurium Studiosorum Catholicorum, jussu Magistratûs, incarceratio. Quodsi tandem hanc Gymnasistæ Captivationem, sicut & alias, etiam olim à Studiosis Catholicis, (quod unicè in suo rescripto exaggerat) illatas Lutheranis, vel prætensas quascunque injurias; Magistratus devolvat in ipsos Jesuitas, ratione incontinentiæ sibi subjectorum; Viderit Magistratus, an non potiori millies ratione, in illos ipsos retorquebitur argumentum à Jesuitis! dicent enim evidentissimè: si Jesuitæ Rei sumus, quarumcunque à Studiosis nostræ jurisdictioni subjectis, injuriarum Lutheranis illatarum, ratione incontinentiæ. Ergo à millies majori, Magistratus, & maximè *Præses*, rei sunt omnium exorbitantiarum Plebis, & Civium, Catholicis & Iesuitis & Superis, quandocunque & potissimum vel nunc illatarum. Tum quia hæ sunt millies plures, & centies, quin infinities majores; quàm illatæ unquam à Studiosis Iesuiticis; uti & infra patebit. Tum quia; nulla unquam, etiam minima, etiam solùm retaliativa, etiam purè prætensa violentia, facta est à Studiosis Iesuiticis, cum scitu, nedum cum positivo permissu, nedum etiam jussu Rectoris Iesuitici. Sicut (præter alia antiquiora) in hac ipsa causa, facta est *incarceratio duorum Studiosorum Jesuiticorum, jussu expresso Magistratûs*, ut fatentur publicæ illorum literæ. Tum quia longè faciliùs est Magistratui, continere cives, plebemque, utcunque maturiorem, imperiique capaciorem, quàm Iesuitis Studiosos, præsertim Pueros, tam genere plerumque nobiles, quàm libertate innata, & ætate mobiles; tam faciles corripi, quàm difficiles corrigi; tamque pronos flecti, quàm cereos iterum in idem vitium reflecti. A quibus tamen Studiosis minoribus, passim frequentiores oriri fatemur, non tam injurias, quàm pueriles insolentias. Tum quia Magistratus, regit suos in virga ferrea, & in ore, jureque etiam gladii; Secus Iesuitæ Studiosos, parvos quidem, solo, ut olim Christus, flagello; majores verò, ultimo è Scholis, non tamen à vivis, exterminio. Tum quia Iesuitæ multos Studiosos, etiam hoc ipso anno, gravis-

simis

ſimis plagîs punierunt, etiam pueriles aliàs inſolentias contra Lutheranos. Imò aliquos, nec paucos natu majores, etiam ultimâ pænâ exterminativâ, ſeu publicè ex Scholis, totius Polonæ Societatis excluſivâ, affecerunt, ad aliorum terrorem. Jam oſtendat Magiſtratus Thorunenſis, vel unicißimum & de Plebe infimum; atque etiam in hac ipſa, tam evidenti, tamque publica, ac enormi Collegii Jeſuitici deprædatione & deſolatione, (quam ultrò fatetur in ſcripto, ſed & ſolem negare nequit) Quem publicâ aliquâ pœnâ, nedum exilio perpetuo mulctârit, pro injuria, Catholicis illata &c. Dicunt quidem in eodem ſuo Scripto: *Deſolationem Collegii & Conclavium, cum mobilibus ibi reconditis, factam: Ignem item in platea à plebe accenſum: Sed mere ex variis lignis, in tumultu conciſis &c. Quod vero etiam Imagines &c. Plebs comburere præſumpſerit, nullibi hactenus, ex inſtituta à nobili Magiſtratu Inquiſitione, innotuit &c.* Sed ex hoc ipſo ore tuo, Te judico Domine Magiſtratus. Imo. Ergo ſaltem pro deſolatione Collegii, effractione conclavium, deprædatione reconditorum &c. incarcerandi & puniendi erant invaſores! an non enim hoc etiam unicum, Religioſæ Domûs publicè violentum excidiũ, ſcelus eſt non una morte piandũ? 2dọ. Sed enim vos Domini; & hoc diſſimulâſtis, ne fortè & vos implicaretis in confeſſatis: & inſuper, millies adhuc majori, nec minùs ad Sacrilegos ignes evidenti Latrocinio, veſtro non deeſtis, excuſatorio Plebis Patrocinio; non ſine juſta ſimili ſuſpicione. Quanquam credibile eſt, vos non ſperâſſe, uſq; eò furorem populi progreſſurum; Ideoque longè prudentiùs ageretis, ſi plebem, in tam, æquè claro ac craſſiſſimo ſacrilegio, non defenderetis, emendicatîs coloribûs, Quis enim, vel micam rationis habens, de veſtra id ſupponere auſit judiciaria prudentia, quaſi hoc neſciretis, nec videretis? (Si tamen oculos aliàs perſpicaces, modicè aperire velletis) Quî fieri potuerit? ut Altaria, etiam hoc ipſo anno, quædam à veſtris artificibus, in Capellis Jeſuiticis erecta, & ſacræ ſtatuæ elaboratæ, omniumque oculis & reverentiæ hactenus proſtantes, plurimæq; SS. Imagines, undiq; dependentes, ut inquam, unicâ illâ nocte diſparuerint, vel terrâ dehiſcente abſorpta ſint; relictis ſolum Altarium, Imaginum, ac Statuarũ fragmentîs, vel globô trajectîs, vel enſe cõfoſsîs, vel ferro reſectìs vel deniq; igne ſemiuſtîs ſacris, immaniſſimi Sacrilegii reliquiîs, ceu inauditi hactenus prodigii, an monſtri, teſtibus? Jam nunc cum Daniele, quin & cum Barbaro Perſarum Rege, quæro: à quo hæc ſunt veſtigia fæda relicta? præſertim in ſuppoſitis cineri doloſo, ſemiuſtis reliquiis? Annon ſole eſt clarius; etiam cæco impetu furenti Plebi, intervalli aliquid lucidi ſcintillâſſe, putâſſeq;, (licet erroneè,) poſſe ſcelus plenè in cinere ſepeliri; ideoq; omnino voluiſſe, omnia omnino ſacrilegii indicia (quanquam ſecus accidit) uſq; ad noviſſimum fragmentum, flammîs abolere. Cæterum, licèt etiam id DEUS T. M. permiſiſſet; Non eo ipſo tamen, ſacrilegium latuiſſet, aut à nobili *Magiſtratu* tegi potuiſſet, nedum protegi debuiſſet. Nam etiam tunc, tam certum eſſet, Aras integerrimas inibi antea fuiſſe, quàm nunc omnibus eſt evidens, nihil ex illis, niſi fragmenta & cineres ſupereſſe. Ideoq; æquè excuſatio Plebis, atq; accuſatio Jeſuitarum, á Magiſtratu hactenus inſtituta; utrumq; Argumentum tam prorſus eſt inane, quàm crimen Populi, palam immane. Unde neceſſitate & conſcientiâ adactus, hoc unicum iam Ipſis per ſe Jeſuitis, crimen, in ſuis ad Senatores Pruſſiæ literis imponit idem Magiſtratus; fateturq; maximam tumultûs Populi cauſam fuiſſe; *Quòd R. R. P.P. Jeſuitæ miris modîs & artibûs, famulos, filioſq; civium, ad fidem Romano-Catholicam paſſim pertraherent;* adeò, ut Prædicántes, timentes maximè non puſillo Gregi filiorum, filiarumq; ſuarum, paſſim (ut olim Phariſæi) quererentur: *Quid facimus? ſi dimittimus omnes ſic: venient Romani, & tollent Gentem noſtram & locum.* Interim, *fodere non valemus, mendicare erubeſcimus! et ſuper hæc omnia,* ſine Fæminis vivere non poſſumus &c. Sed enim Jeſuitæ, hoc unum crimen cauſamq; tumultûs, ultrò fatentur, quin & gloriantur & exultant in rebus piiſſimis, dicuntq; audenter, cum ſuo S. Petro: *Si juſtum eſt, in conſpectu DEI, vos potiùs audire quàm DEum? judicate!* Et certè, ſi licuit Luthero Apoſtatæ perjuro, Parentes, Avosq; veſtros, ab antiqua Catholica Patrum Proavorumq; fide avocare, & permiſſione protunc omnis licentiæ, ſeducere; cur Jeſuitis non liceat, Filios veſtros (ô utinam & vos ipſos) ad eandem S. Catholicam & Apoſtolicam antiquam fidem Patrum Proavorumq; ſuorum & veſtrorum, revocare, & reducere? non utiq; promiſſione ſimilis inſolentiæ, ſed ſuavi, ex verbo DEI puriſſimo, conſervandæ à puero innocentiæ perſuaſione: Quæ utiq; quanto minùs adhuc habet de corpore, tantò plùs eſt capax recipere de ſpiritu. Ideòq; & ipſe IESUS ait: *Sinite Parvulos venire ad me!* Tandem; cum nihil omnino, contra Rectorem, ſeu Collegii Præſidem, Principaleſq; Ieſuitas, Magiſtratus etiam fingere poſſit utcunq; probabiliter; non auſus quidem in ſcripto, ſed tamen muſſitat in angulo, Magiſtrum quendam minorum claſſium, ſuggeſſiſſe Studioſis, ut Gymnaſiſtam Lutheranum captivarent. Sed 1mo. Hoc tam futiliter dicitur, quàm nulliter probatur. Sed 2do. Etiam dato hoc, non conceſſo; Nunquid unus Magiſtet Iuvenis, eſt Magiſtratus Ieſuiticus, nedum *Præſes* & Rector, & ordinis Magiſter? Sed 3tiò. Si Iuvenis Magiſter, Reus, quòd ſuggeſſerit captivandum unum Gymnaſiſtam; Magiſtratus innocens erit candelæ extinctor? qui & priùs, & plures, & directè, juſſit incarcerari Catholicos Studioſos? Sed 4to. Tandem, ſi conſtaret æq; certò, à Ieſuita juſſum captivari Gymnaſiſtam: quanquam id demum retaliativè & ferè defenſivè factum fuiſſet; tamen Is, puniretur exilio, ex Societate univerſa; dummodo pariter Magiſtratus puniatur exilio ex urbe & orbe Polono. Licèt Hic, deberet omni Iure & Ratione, longè adhuc graviùs puniri, quàm Iuvenis & privatus *Magiſter*; utpote Magiſtratus, & ætate Senior ac maturior, & Iuriſdictione potior, & poteſtate fortior, & captivationis juſſione innegabilior, & tempore ſimilis captivationis prior, & numero incluſorum Superior, & carcere longè aſperiòr &c, Ex his tandem omnibus, utriùſq; Partis Principalis Reatum, comparare licet. Scilicet ex una parte Magiſtratûs; præter plurima, dominanti Religioni veteri, moribuſq; Patrum antiquiſſimis, ac legibus Catholicis, ante ducentos annos ſeveriſſimis; nunc contrariiſſima novella Lutherana ſtatuta: Item præter quotidianas Catholicorum, maximè Pauperum, oppreſſiones; nec ſolùm à Magiſtratu, ſed etiam à minimis officiis, in contuberniis artificum, & confraternitatum, excluſiones; Præter frequentiſſimas, etiam hoc ipſo ſeditionis tempore durante, Eorundem Catholicorum, merè quæſito prætextu, Incarcerationes; adeo, ut nec flere ſuper Divorum cineres, nec querulari, nedum proteſtari, liceat Catholicis; cùm omnia, maximè hoc ipſo tempore liceant Proteſtantibus, & in rebus peſſimis exultantibus, & per hoc ipſum, ad majores olim auſus, ſeditioneſq; quaſi de induſtria animatis &c. Præter inquam hæc omnia aliaq; quam plurima; Immediatus & innegabilis eſt Reatus, partis unius Principalis ſeu Magiſtratûs. Imo. ante tumultum Incluſio duorum Catholicorum Studioſorum, motu & imperio proprio Magiſtratûs facta, ſine ulla Iuriſdicti-

onis legitimæ Iesuiticæ requisitione. 2do. In tumultu, Dissimulatio ab initio, imò positiva assistentia tumultuanti Plebi, per militem Civitatensem, sine ulla etiam minima resistentia: si enim (ut ipsimet in scripto fatentur) per valde paucos milites Regios, tumultus in medio æstu, sine sanguine Plebis, est restinctus: an non millies faciliùs poterat impediri, nondum adultus, si principiis obstare, animus fuisset? 3tio. Post tumultum; Manifesta sceleris palpatio, & simulata nonnisi in scripto, non in re, super Authores inquisitio, nullo interea capto, nullo incarcerato, nedum tormentis, quæstionibusque, subjecto. &c. Imò quibusdam innocuis Catholicis, studiosè postea quæsito colore, incarceratis; ut tanto Patrocinio, ad nova latrocinia, Prædones Sacrilegi animentur. Iam Parte ab Altera, Iesuitis *Imum* Crimen imponitur: Quod aliquoties sub invasionem Militum Polonorum, Consulibus, Civibusque Asylum in suo Collegio præbuerint. Quod inibi fugitivos protexerint; Quòd Patrociniis, instantiis, Civitatem ab Excidio servarint, & hactenus Summis suis conservent. &c. *2dum* Simile huic scelus est: Quod famulos, filiosque quorundam Civium Lutheranorum, Catholicæ fidei lumine illustrârint, eisque honestam subsistentiam in futurum providerint. Ex quo evidens erat periculum, (nî tumultus obviam ivisset) ne tota civitas perverteretur, seu potiùs reverteretur cum Filiis, ad corda Patrum & Proavorum antiquorum Catholicorum &c. *3tium* tandem, & quidem superlativi gradus, crimen est Iesuitarum, jam ipsi tumultui succedaneum; Quod tamen quasi propheticè præsago spiritu, furore percita Plebs, antecedaneè meritò vindicavit; Crimen inquam, quod Ipsi etiam quidam (si tanto Nomine digni, sique Diis placet?) Catholici, crudeli, non super Catholicos suos, Divosque vulneribus concisos, *semivivosque relictos*; sed super ipsos *Latrones, misericordiâ moti*, Iesuitis miseris imponere sunt conati; Quod scilicet Invasores illos tumultuarios, *Canaliam*, ut ajunt, in suis Literis vocârint: quodque Illos, vero quidem, acriori tamen subinde stylo, perstrinxerint; & super omnia; quòd sacrilego illo, per Regnum totum difflato fumo, compassionem debitam, atque etiam lacrymas, ferventioribus Catholicis & Magnatibus elicuerint &c. Uno verbo: quod Iesuitæ, integerrima fide, totam tragædiam descripserint, quam Thorunenses perfidè fecerunt. Quasi verò æquum & æquale, nedum etiam majus peccatum sit, aliena scelera purè describere, ac propria perpetrare! Et quasi tolerabilius sit, Prædonem Canaliamve esse, quàm dici. Quasi item, acutior sit stylus Calami Iesuitici; quàm enses, *secures & asciæ* Thorunenses, quibus *Altaria Tua Domine dejecerunt*; Imagines transfixerunt &c. Quanquam Thorunenses, quasi Cæsares ex utroq; & talia, ac tanta fecerunt, & non dissimilia dixerunt, imò in publicis plateis *MARIAM mulierculam*, Imagines *idola*, conclamârunt, & ceu talia concremârunt: & Insuper postridie, (quasi deliberatius) *Jesuitas, Impios, Esavitas*; Catholicos omnes, Barbaros *Idololatras*, affixo ad Valvas publicas Pasquillo, proscripserunt. Fatemur tamen ingenuè, hos Discipulos Martini, nondum Magistrum suum, procacissimâ & planè plaustrali in Cœlum, Terramq; blasphemi oris & calami licentiâ ac lasciviâ, æquâsse, nedum superâsse. Et tamen pro stupor! pro pudor! pro dolor! nonnulli (licèt D.G. non omnes) scilicet Catholici! at falsi Fratres, odio in Spirituales, Majores utiq; Fratres, imo & Patres suos, excœcati, *festucam in oculis* Eorum, subinde *vident*, & *trabem in* Extraneis & Hæreticis *non vident: culicem* ibi *excolantes, Camelum* hìc *glutientes*. *Utinam* saltem Homines isti, *aut frigidi essent*, & aperti Hæretici, *aut calidi*, & veri Catholici! *sed quia tepidi sunt*, viderint, ne tandem & ipsi, à DEO *evomantur*! At enim? an non *prudentiores* hac in parte sunt *filii tenebrarum*. *filiis lucis*? Qui præsertim honestiores, ut invidiam facti evidentissimi, à se suâq; Secta amoliantur, rem totam, quasi in trivialem canalem, in suorum Canaliam refundunt, vehementerque illis succensent, ditisque ac mille mortibus devovent; quod nimis clarè ad Ignes sacrilegos, suæ fidei, erga Matrem DEI, Divosque, affectum prodiderint. Et id quidem tantò prudentius faciunt, moderatiores Acatholici, quantò imprudentius (& utinam non malitiosius!) tanta facinora, importuni Patroni, extenuare quasi videntur, quidam Catholici: Rudi enim, sed vero veteri proverbio: Deterior est, qui ignavâ conniventiâ, (præsertim domesticâ) alienum scelus fovet, quàm qui facit. Hic enim, non solùm alienum præteritum, facit de præsenti suum; sed insuper alios, etiam aliàs hactenus innocuos scelerisque puros, ad similia, atque etiam majora audenda, animat, similis spe impunitatis.

Sed jam ad secundariũ Partium Reatũ; Populi scilicet Thorunensis, & Studiosorum Iesuiticorum, descendamus. Et Imò quidem, ex una Parte, facinus Populi, omni barbarissima atrocitate majus, palam est. Scilicet; *Violenta aggressio, & deprædatio Scholarum atque Collegii*: & super omnia, Eversio Altarium! Dissectio, Confixio, Laceratio, Conculcatio, Combustio Imaginum Sacrarum &c. Quæ omnia: si Thorunenses negent; Lapides in centum & amplius fenestras excussas jacti; Parietes sacris Imaginibus plurimis undequaque pendulis, nudati; Altaria etiam recenter extructa, usque ad novissimum pedum Scabellum, dissecta & diruta; ac tandem semiusta fragmina clamabunt, & porro clamant. Et uno verbo, Res est oculis subjecta fidelibus, quin etiam infidelibus. De solo *Extinctore* (ut ajunt) *candelæ*, Causaque mali, sub judice lis est. Primò itaque dicunt in scripto Thorunenses; originem mali cæpisse *à* Studiosis Iesuiticis, qui olim quandoque *damna in hortis & fructibus* faciebant, & *fenestras* (& quidem etiam *in Ædibus sacris*) aliquando excusserunt. Sed maxima & immediata occasio Tumultui data, *à* Studioso Catholico, qui *Civium Liberos, aliosque complures Juvenes Lutheranos, inflictis colaphis adigere præsumpsit, ut genua flecterent in Processione.* Et iterum post Processionem, *nullâ jam datâ causâ, Idem Studiosus multos Cives & Thorunenses aliosque, lapidibus & verberibus offendere ausus est. Sicque propter hunc excessum, ab evocatis militibus Civitatensibus, in recenti est apprehensus.* Sed imprimis viderint Dissidentes; Quâ conscientiâ, suæque Fidei consequentia, profani sui etiam Fani parietes lateresque, *sacros*, adeoque speciali reverentia dignos: citra idololatriæ periculum, audeant dicere! Cur enim non millies à majori, de Imaginibus, *Ossibusque SSrum*, quæ *Dominus* ipse sollicite *custodit*, ne vel *unum ex ipsis*, etiam sepulchrali lapide incultũ *conteratur*! Cur inquã de his, non saltem idẽ sentiunt? Viderint deinde, Quomodo unicus Studiosus, ausus fuisset compluribus Lutheranis, colaphos impingere, aut valuisset genua Illis flectere? multoque magìs postea, etiam complures Cives, lapidibus ac verberibus impetere? nec à tot compesci potuerit, sine militibus in suppetias evocatis? nisi fortè Samson fuerit super Philistæos? quod ridiculum est! Illud certius; quod ultrò fatentur Catholici; uni solùm præ cæteris stultè fastuoso Lutherano, galerum nonnisi depositum *à* studioso Catholico, idque per reverentiam antonomasticè Venerabilis Sacramenti! sed enim, si zelus hic tanti Sacramenti, scelus est? quantum putas fuit Numinis Iesus? cum *Philistæi* infideles, pro modica irreverentia Arcæ veteris Testamenti, quod Il-

lam à finiſtris Deaſtri ſui *Dagon*, poſuiſſent, ulcere peſſimo, & fœdisſimo punivit! cùm item etiam
Bethſamitarum Fidelium, pro magìs curioſo quàm reverenti, ejuſdem Arcæ aſpectu, ſeptuaginta millia
occidiſſet! cum tandem *Ozam* Sacerdotem, qui licèt reverentiſſimè, parum tamen dignè, Arcam à caſu ſu-
ſtinuiſſet, morte repentina percuſſit? Niſi fortè Thorunenſes putent, & errent, majori reverentia di-
gnum fuiſſe Moyſen, quàm Chriſtum; Figuram nudam, & Arcam illam, Mannaque in illa recon-
ditum, quàm rem ipſam Sacramentumq; ac Corpus CHRISTI, in novo Teſtamento? At enim
longè prudentiùs edixit, ſapientiſſimus (utinam & æquè foret Pientiſſimus!) Rex Brandeburgus:
Ut quicunque *Proceſſiones, ſeu Templa & devotiones Catholicorum, ſpectare voluerit, id aperto capite, cum reve-*
rentia faciat: qui ſecus fecerit, liberum ſit cuivis Catholico, gelerum illi dejicere &c. Imitator utiq; utcunq;
Pientiſſimi Regis Davidis, Qui ſupradictam Arcam Domini, ſolenniſſimâ Proceſſione & muſicâ, pedes
deduxit; irriſus quidem á Michol uxore, ſed hoc ipſo *muliere ſtulta*, & hodiernorum Hæreticorum
Anteſignanâ Magiſtrâ. 2do. dicunt Thorunenſes, captum à Studioſis Catholicis Gymnaſiſtam Luthe-
ranum; nec diffitentur Catholici. Sed puré retaliativè, & in Schola honeſtiſſimè detentum,
poſt duos Studioſos Jeſuiticos, infamiſsimè incarceratos & cæſos; dimiſſumq; ſtatim, etiam ante ef-
fractas Scholas, nedum Collegium. Quid igitur ſupererat prætenſæ vindictæ? 3tio. dicunt lapidum
imbrem, glandeſq; plumbeas ex Scholis & Collegio in populum pluiſſe! Sed & hoc tam falſo aſſeri-
tur, quàm nulliter probatur; imò contrarium planè eſt evidens: Tum quia à tam denſiſsimo plum-
bi, lapidumq; imbre, in vicinam & confertiſsmam plebem effuſo, ne unicum de iis eſſe læſum, ne-
dum cæſum, miraculo par foret! Tum quia Scholarum tempus, ab aliquot jam horis abierat. Tum
quia effractis immediatè, impetu Populi, Scholis; ne unicus Studioſus eſt repertus, ideoque nec captus,
nec tactus, à furente aliàs máximè in Studioſos Populo; cujus tunc rabiem, effugere omnes, prorſus erát
impoſsibile; ſi præſertim (ut fingitur) multi Studioſi intus fuiſſent. Si autem duo, tresve in Scholis
concluſi eſſent; tantò ſtultiùs immáni & armatæ multitudini reſtitiſſent, quantò prudentiùs & faciliùs,
furori ſe, in tempore, ad latebras ſubduxiſſent. Quanquam etiamſi, id quod aſſeritur, perjurio com-
probaretur. Nunquid eo ipſo, tam pro priori violenta, Scholarum, & maximè inſontis inermisque Re-
ligioſi Collegii Invaſio, tam exili & Puerili Defenſione excuſaretur? An non enim, communi Gentium,
naturæque jure. *Invaſor à ſe ipſo occiditur?* nedum utcunque tenetur, vel interim terretur? His utri-
usque Partis tum Reatibus, tum Rationibus expenſis, non dico Catholicus, non dico Chriſtianus, ſed
utcunque rationabiliter prudens & Apathos Lector, An non meritò cum S. Iob exclamaret? *Utinam*
appenderentur peccata Ieſuitarum & Studioſorum, (nedum SS. Coelitum) *quibus iram* Thorunenſium &
Diſſidentium *meruerunt; & calamitas, quam patiuntur in ſtatera quaſi arena maris, hæc gravior appareret!*

Ex his itaque hactenus præmiſſis. ultimò concluditur. 1. Licèt olim in Urbe Cracovienſi
Metropoli Regni totius, gaudenteque ad 12. in circum milliaria, juribus Nobilitatis, Nobiliſſimus
Tęczynſki, repentino plebis tumultu, adeoque (ſine ulla etiam umbrula Suſpicionis), inſcio penitus
Magiſtratu, ſit occiſus: Tamen duo Conſules, præter Populi Primipilos, pro Incontinentia Subjectæ ſi-
bi Plebis, decretô publicô, Capite ſunt truncati. 2. Licèt Oſtrogii, pro fœminea fere tantùm ſeditio-
ne, contra Duciſſam Hæredisſam; cum ſolo necis periculo attentata: Tamen pariter, aliquot ex Magi-
ſtratu Capite plexi; quòd tumultum impedire diſſimulârint. Et Eccleſia ſeu Cerkiew Schiſmatica,
totius Ruſſiæ pulchritudine, & Magnificentiâ facilè Princeps, hactenus ſtat (quaſi perenne Juſtitiæ
Vindicativæ monumentum) tam turribus erecta, quàm protunc clauſa, & nunc deſerta. 3. Licèt
Bransbergæ, pro minoribus longè, Lutheranæ tunc illius Civitatis, contra Catholicos tumultibus; quos
(ut loquitur Hiſtoria vitæ Epiſcoporum Varmienſium) *Bransbergenſis Magiſtratus* (prope identicè atq; nunc
Thorunenſis) *partim negabat partim extenuabat, partim ambagibus involvebat &c.* tamen inibi, à Regiis pariter
tunc Comiſſariis, edictô publicô, Lutheranæ Sectæ exercitiū perpetuò omnibus interdictum, his formalibus:
Quanquam ipſa juſtitiæ & juris Ratio dictet, ut illa tot tantorumq; delictorum gravitas, Capitali Supplicio, Bonorum con-
confiſcatione, Privilegiorum & libertatis amiſſione puniatur: habito tamen veſtra humilitatis benigno intuitu ſequentia
ordinamus mandamusq; ut Sacroſanctæ Catholicæ fidei, & Ceremoniarum Eccleſiaſticarum uſus, quemadmodum à Ma-
joribus traditum accepimus, ab omnibus, & per omnia in iſta Civitate deinceps retineatur &c. Si quis autem, juxta re-
ceptum Catholicæ Eccleſiæ Ritum, vivere noluerit, illi intra 14. dies è Civitate migrare, & ampliùs in eam non revertì
tenebitur: aliàqui capitis, & Bonorum omnium amiſſione mulctabitur &c 4. Licèt in Galliis, Hugonoti & omnes
Hæretici, etiam Magnates, pro ſimilibus ſeditioſis Sacrilegiis, tandem toto Regno pulſi ſint: magno qui-
dem ſub initiū damno, majori rebellionis periculo, maximâ tamen Ludovici M. deinceps corā Hominibus
gloria, & coram DEO merito, ac Regni tandem uſq; nunc etiam emolumento. 5. Licèt deniq; etiam
ad Hominem (ut ajunt) argumentando: Ipſi Diſſidentes in Anglia, Svecia, Dania, Brandeburgia, ali-
bique Catholicos Dominos ſuos antiquos & Hæreditarios, contra Divina Humanaq; Iura, juratamque
fidem; quandoque mere confictis, ad obfuſcandam Martyrii gloriam, calumniis oppreſſos; Quandoque
etiam apertiſſimo ſolius Fidei Catholicæ, & maximè Sacerdotum ſacroſanctiq; Sacrificii miſſæ odiô, hor-
rendis excarnificârunt ſuppliciis; Licèt inquam ſemper & ubiq; Hæretici omnes, maximè tumultibus,
cœdibus, expulſionibus Catholicorum, etiam Regum, Dominorumq; antiquorum ſuorum legitimorum,
orbem impleverint; adeoq; ſaltem in una Urbe, Relationē, ſaltem omni minimo minorem, pro tot, tantiſq;
facinoribus mererentur: Nôs tamen Catholici, memores CHRISTI *Filii David & omnis manſuetudinis ejus*,
nihil aliud petimus, quam *ut convertantur & vivant* D. D. Thorunenſes! vel ſaltem, ut antiquiſſima longè
ante ducentos annos Jura, Privilegia, Subſellia, Bona, Gymnaſia, Templa & alia omnia; Primis adeo-
que melioris fidei, potioriſque juris Poſſeſſoribus, reſtituantur; Hæc enim ūtique omnia, Solis Catho-
licis conceſſa fuêre, in primo acceſſu Inclytæ Provinciæ Pruſſiæ, ad Rempublicam Polonam; Nec enim
tunc adhuc ſomniaverat Orbis, de Diſſidentibus, Proteſtantibus, Lutheranis, Calvinis, vel aliis qui-
buscunque; Cùm necdum Hi Ipſi nati eſſent, nedum Apoſtatæ, à ſua nativa fide facti. Unde tan-
tùm abeſt ut Jeſuitæ, jura, libertatesque Thorunii, nedum Pruſſiæ totius, convulſa velint, ut potiùs
illa ſarta tectaque optent, & ad primitivum jus ſuum, cuncta reducta; Maximè verò, non parvam
operam ſuam offerunt, ingratæ licèt hactenus Civitati, ad Juventutem Illius innocuam, in literis
ac moribus antiquis, gratis omnino (non ſicut hactenus Illorum Ludimagiſtri)
inſtituendam &c! &c! &c!

* * *